

**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses
Viator**

Millieu, Antoine

Lugduni, 1636

Libri Secvndi Argumentum, & Synopsis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](#)

LIBRI SECUNDI

Argumentum, & Synopsis.

O A C T O Furiarum concilio Iannem, & Mambrem Magorum Principes Satanas inaugurate donatos magicis virgis eos in Regiam deportat per Paredros Dæmonas, ut eorum præstigiis vera Mosis miracula eludat. Auget sœ uitiam Pharao denuntiato per Mosem Dei mandato: mutatur Virga in serpentem; eo prodigio Magorum præstigiis eluso: infligitur Ægyptiis prima plaga mutatis omnibus aquis in sanguinem: vnde mortifera hominibus, & pecori vbiq; sitis. Succedit sanguini secunda plaga euocatis è fluvio ranis in omnes domos. Hæc tria miracula celerrimo Dæmonū ministerio simulant Magi; sed plagi mederi non possunt, aut restituendo fontibus puros latices, aut ranas depellendo: medetur utriusque Moses diuina potestate; quam admiratus cognoscit Pharao ex Amyntore vetere aulico fortunam Mosis variam à primo ortu ad fugam usque ex aula ob cæsum Ægyptum. Perspicua est allegoria in Satanæ molitionibus per Magos aduersus Ecclesiam, & Pharaonis sœ uitia in Israëlitis vexandis, & auertendis à Dei cultu: nascens Ecclesia Magorum machinas in Simone, Elyma, & aliis sensit, & in exitu mundi iterum experietur signis & prodigiis mendacibus per Dæmones Antichristi ministros, 2. ad Thessal. 2. 9. Matth. 24. 24.

1 Cœtus Cacodæmonum, & coniuratio in regnum Christi, & libertatem Sanctorum.

2 Satanæ superbia, & solarium inuidiæ ex ruinis hominum.

3 Nocendi insatiabilis libido. Sed ea superior potestas, quæ permittit, moderatur, & certis finibus circumscribit, ut ad experimentum suorum, ut faciat cum tentatione prouentum.

42 Libri II. Argumentum,

4 Iannes & Mambres Magorum Principes, qui 2. ad Timoth. 3. 8. Moysi restiterunt, aduehuntur in Concilium Furiarum. Semper hæc pestis in Principū aulis curiosa se-ctatibus perniciosa fuit, & sp̄ciosis tamē titulis pretiosa.

5 Eorum improbitas non obscura ex ipsa facie: mala mens nequior ipso magistro Dæmone.

6 Inauguratio postico capri osculo, & stigmate: potestas ab assistente Dæmone, oppignerata signo aliquo, aut verbo ex pacto magico. Isti donantur virgis magicis, quibus inequitantes feruntur in regiam.

7 Moyses ad Pharaonem admissus mandatum Dei de triduana profecitione populi denuntiat, Exod. 5. 1.

8 Pharao ignorans Dominum, interpellat Moysem.

9 Moyses Regem docet quis, & quantus sit Deus Hebræorum à spectabili opifici diuini magnitudine, & viua eius imagine humanæ menti impressa.

10 Extruditur è regia Moses: pensa populo augentur negatis paleis, ne de religione cogitet. Exod. 5. 4.

11 Cæsi atrociter Hebræi operū præfecti, desperabūdi expostulant. Fingūtur 300. loris secti corā Pharaone queri de fœnitia Exactorū: exturbantur irrisi à Rege. Exod. 5. 16.

12 Queruntur de Moysē & Aarone, tanquam incen-toribus iræ regiæ in Hebræos. Exod. 5. 20.

13 Redit ad Regem Moyses cum principibus populi: Dei mandatum iterat, Exod. 5. & 6.

14 Rex paulò moderatior signa legationis postulat: Aaron Mosis iussu virgam excutit, Exod. 7. 9.

15 Virga momento mutatur in verum serpentem: stupet, trepidatque Pharao, & Proceres.

16 Magi plurima thrafonicè promittunt miracula: placet similitudo prodigijs: cantatas virgas videntur in ser-pentes mutare: re vera pro excussis eorum radiis Parendri Dæmones celerrimè serpentes substituunt.

17 Mosaicus serpens regnat in mediis magicis, eōsque iussus deuorat, & fit draco; sed cauda apprehensus à Mose in virgam redit.

18 Allegoria serpentis Mosaici de Christi regno, quod coniurata

coniurata alia regna omnia euertet, ex Psalm. 2.

19 Duritia Pharaonis frangenda primo verberis ictu; denuntiatur ei manè ad oram fluminis prima plaga sanguinis, & statim infligitur, Exod. 7.

20 Magi sanguinem ſimiliter ſpondent: ſed niſi aquam ad experiendum præbuit illis Moses, (quod non eſt probabile.) Dæmones, vt h̄ic fingitur, ſimulantes regios ephēbos illam peluibus inferunt aliunde, vt fucum faciant Aegyptiis Magi volentibus illudi: pro aqua igitur ſanguinem ſupponunt Dæmones eadem celeritate, dum præſtigiatores vanis ceremoniis tenet oculos ſpectatorū.

21 Magis insultat Moyses, quos oportuit aquam potius in ſiti præbere Aegyptiis, quam augere ſanguinem.

22 Mors pifcium vbiue funefat aquas, & corrūpit.

23 Sitis miſeranda tota Aegypto ſolis Aegyptiis; neceſſitas folertiā acuit ad exprimendas puras aquas in remedium ſitis per exiguum. Hebræis interim, & eorum peccati liquidissimi manant abunde fontes.

24 Fingitur Nili cruenta species in ſomniſ obiecta Memnoni Antiftiti Nymphæi, in quo fuit ille olim puteus & columnā notatis fluuij ſurgentis incrementis per cūbitorum interualla; vnde tota Aegypto cognoscebatur annonæ, vel vbertas, vel sterilitas, plūs, minūsve, aut nimium crescente Nilo. Indicat cauſam ſuę cladi Nilus mersos olim Hebræorum mares.

25 Aquas Aegypto restituit Moyses die ſeptimo.

26 Ranarum plaga denuntiatur & infligitur: quam imitantur etiam Magi illatis à Dæmone ranis, ſed ſtupidis, & ignauis: cùm Mosaicæ bellicosæ eſſent, & infelitifimæ Aegyptiis.

27 Importuniffimæ & moleſtiffimæ vbiue ranæ, harpyiis ſimiles Pharaoni in tricliniis, & thalamis ſine remedio.

28 Pharao ſpondet dimiſſionem populi, ſi depellan- tur ranæ.

29 Fugātur Moysis arbitrio cōdicta Regi die: redeut in paludes, aut moriuntur statim, & ſepeliuntur ab Aegyptiis.

30 Pharao

44 Libri II. Argumentum,

30 Pharaon admiratus potestatem Mosis ignoti antè in Ægypto hominis, quærit ex aulicis de viri tanti genere, & fortuna. Fingitur Amyntor grandis natu ea de Moyse narrans, quæ ex matre Saï puer audierat de ortu, & expositione Moysis: Saïs autem vna ponitur de pueris honorariis Reginæ Merris, seu Thermutis, quæ Moysen infantem ex aquis sustulerat.

31 Spes, & vaticinia de puer Hebræo nascituro, qui suos liberaret: frustrà Dei consiliis suos conatus opponunt mortales: id notum satis Ægyptiis ex fortuna Iosephi venditi. Consilia regis Amenophis impia de opprimendis Hebræis.

32 Moyses natus seruatur à parentibus spe concepta ex elegantia vultus infantuli.

33 Trimestris exponitur à matre Iochabeta, non sine lacrymis, & bona spei omne.

34 Maria pueri soror, puella septennis, obseruans rei euentum nutricem fratri aduocat optimam matrem ipsam infantis, quem Regina Merris è naufragio seruarat.

35 Commendatur Iochabetæ matri nutriendus.

36 Depulsus à lacte redditur Reginæ, regificè in aula instituendus omni sapientia Ægyptiorum.

37 Tentatur puerile ingenium, vt fabulati quidā cum Rabbinis, oblatis carbonibus cudentibus cùm Chenephris diadema sibi impositum proculcasset: inde adustis labris Moysi posteà balbuties Rabbinis fictâ causâ.

38 Prudentia in eo eminebat, & fortis bello virtus: bellum Æthiopicum eo duce gestum, vt scripsit Iosephus: sed paulatim deficiebat ab aula ad Hebræos suos diuino impulsu, quo iam erat designatus eorum duxtor. Ad Hebr. 11. Actor. 7. 24.

39 Ægyptiū præfectū occidit, & abdit infossū sabulo.

40 Ea cædes vulgata auxit inuidiam Regis & Vatum, cùm iam ab aula ad Hebræos defecisset. Certa Oraculorum fide ex euentis, hortatur Amyntor Pharaonem, vt Hebræos cum Moyse ad sacrificandum dimittat, ne grauius aliquid patiantur Ægyptiij.

L I B E R